MASTER NEGATIVE NO. 93-81179-4

AUTHOR:

BAUER, J.J.

TITLE:

COMMENTATIO DE SOPHISTIS

PLACE:

ONOLDI

DATE:

1869

Master Negative #

93-81179-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

183 Dissertation
Z8 Bauer, J J
v 1 Commentatio de Sophistis
Onoldi 1869

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-12-93 INITIALS BC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VIRO SUMME VENERABILI

D. CHRISTOPHORO STEPHANO ELSPERGER

REGI BAV. AUGUSTISSIMO A CONS. SCHOLASTICIS
GYMNASII ONOLDINI RECTORI ET PROFESSORI
EQUITI ORDIN. S. MICH.

SEMISAECULARIA MUNERIS SCHOLASTICI SOLLENNIA

A. D. VI. CAL. NOV. MDCCCLXIX

PIE GRATULANTUR

COLLEGAE

INTERPRETE

J. J. BAUER.

INEST COMMENTATIO DE SOPHISTIS.

ONOLDI,
TYPIS BRUEGELIANIS.

In fragilitate vitae humanae perpaucis Dei O. M. beneficio contingit, ut laboribus curis ludibriis vitae non confecti eo perveniant, unde quasi ex altiore loco decem lustra in fungendo munere publico prospere exacta laeto animo retro respiciant. Quod cui contingit, eum non liberi solum cingunt, pignora carissima, et conjux et propinqui, laetissima corona fausta quaevis precantes, sed etiam qui intima muneris necessitudine cum eo conjuncti sunt et qui bene ei cupiunt omnes. Sane pulcherrimus talis dies et candidiore lapillo signandus. Is dies Tibi illuxit, vir summe venerabilis, quo ante hos ipsos quinquaginta annos munus scholasticum subiisti. Cujus autem festissimi diei licet tacita potius recordatione memoriam recolere malueris, quam publica gratulatione et frequenti sollennitate concelebrari, tamen patiaris quaesumus, nos imo ex pectore gratulabundos accedere ad Te et gratis animis pia vota expromere.

Penitus infixa est animis nostris memoria Tui, qui promptae doctrinae copiis exstructus et fructuosa adolescentium institutione et

paterna alumnorum cura et mitissima gymnasii gubernatione et omni vita ad veterum simplicitatem et ad christianam humanitatem composita per longam seriem annorum gymnasium Onoldinum non juvisti solum, sed etiam ornasti. Timide et diffidenter offerimus Tibi hoc, qualecunque est, commentariolum, quod voluntatis nostrae aliquod testimonium sit: quod ut benigne perlustrare et omni, qua soles, aequitate et indulgentia aestimare velis et dijudicare, maximopere optamus.

Deus autem O. M., qui per haec decem lustra manifesto tutatus est et fortunavit res Tuas nostrasque et gymnasium nostrum, in posterum quoque eas commendatas habere velit faxitque, ut Tu, vir summe venerabilis, vitam vegetis animi corporisque viribus ad ultimos usque terminos peragas. Vale nobisque favere perge.

Πᾶσα ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται.

Plato Menex. 246 E.

Qui Grotei illustrem historiam Graecam pertractat, cum non fugiet plus semel virum doctissimum nimio *τοῦ Ἀθηναίου δήμου* studio ductum quaedam, quae invidiosa ad hoc tempus plerisque videbantur esse atque etiam vitiosa, a falsis opinionum criminibus velle purgare. Maxime autem hoc apparet in ea operis parte, qua sophistarum Socratis et Platonis aetate florentium patrocinium suscipit eorumque causam magno ardore animi agit.

Negari non potest, recentiore tempore aequius de sophistis quam antea fieri solebat, judicari coeptum esse. Fuit enim antea communis fere opinio, sophistas nihil fuisse, nisi operarios quosdam exercitata lingua et in declamatorio opere jactatos, qui quum res non bonas tractarent, similes bonarum videri vellent et divitiorum adolescentium venatores mores voluntatemque eorum corrumperent et ad malam sentiendi rationem degenerassent, antiquioris philosophiae non labem solum, sed etiam luem.[1])

Recentiores autem, qui hoc in genere versati sunt, omnes in eo consentiunt, sophistas neglecta naturalium rerum investigatione ad hu-

[1]) Cf. Schleiermacher, Gesch. der Phil. S. 70 sqq. Brandis, griech.-röm. Phil. Bd. I. S. 516. Ritter, Gesch. d. Phil. Bd. I. S. 575. Ad totam rem Hildenbrand, Rechts- u. Staatsphilos. pg. 70.

manam mentem potius omnia revocasse et ad ingenii praestantiam et magna eruditione ornatos et multarum rerum scientia instructos semina literarum jecisse plurima et opiniones ex mentibus exstirpasse multas, quae doctrinae impedimento fuissent, et novam rebus lucem attulisse non semper utique salutarem illam et vitalem, quae alat omnia et illustret, sed igneam illam et fervidam, quae, quocunque invaserit, consumat omnia et disturbet. Quum autem hi magnam vim habuisse sophistas et ad acuendam mentem et ad augendam rerum scientiam praedicantes summa laude tamen non hebetes sint et obtusi ad vitia, quibus sophistae laborabant, jam Grote eo progreditur, ut eos, quos iniquitate rerum scriptorum, inprimis autem Platonis malignitate atro carbone notatos esse opinatur, a communium obtrectatorum criminibus vindicare et auctoritatem eorum per multa saecula imminutam in integrum restituere conetur.

Argumentatur autem hunc ferme in modum[1]): Ad hoc tempus usitatum fuisse et sophistas pro corruptoribus morum animorumque Graecorum habere et hanc morum corruptionem inde ab Xerxis in Graeciam incursione magis magisque auctam esse et incrementa cepisse, quasi et historiae fide contestata esset, pro explorato habere. Se autem cum hac opinione nihil consentire, sed censere, rerum scriptores, quantum ad has res pertineat, in maximam fraudem incidisse. Quod quomodo fieri potuerit, ita planum facere studet, ut doceat[2]), salutare fuisse et laudabile, Athenis summam fuisse dicendi libertatem, qualis nec in antiquitate fuerit ulla in civitate par nec apud recentiores unquam similis, apud quos magna pars aliter sentientium altum silentium tenere jubeatur vel potius inde ab initio tenere jussa sit. Hanc autem summam dicendi libertatem, qua suam cuique sententiam libere expromere et pronuntiare licuerit, et quae minus sibi placuerint, vituperare, eam recentioribus rerum scriptoribus imponere debuisse necessitatem, ne temere reciperent vituperationes nullo alterius causae patrono exsistente, minime autem vituperationi justo plus ponderis tribuerent, contra ut diligenter viderent, unde vituperatio proficisceretur. Hac re neglecta factum

[1]) G. Grote, Geschichte Griechenlands, nach der zweiten Auflage aus dem Englischen übertragen von N. N. W. Meissner, IV. Band, Vorrede.

[2]) l. l. pg. 577.

esse, ut omnium fere et rerum et hominum descriptiones in deterius duxisse colorem.[1]) Cavillationes Aristophanis, calumnias Platonis et Xenophontis atque etiam reorum et accusatorum apud judices declamationes a partium studio non alienas, quantum in quaque veritatis sit, non satis diligenter examinatas pro explorato accipere esse solitum.

Maxima judicii severitate opus esse in sophistis recte aestimandis, qui non solum falso judicati essent, sed etiam ludibrio et despicatui expositi. Paucos se novisse homines, qui tam male tractati sint, quam qui sophistarum nomine denotentur.

Jam tres causas affert, quibus docere studet, cur tanta sophistis immerito conflata invidia sit.

Ita ferre naturam, ait, ut populus rudis et non satis eruditione cultus, quidquid insigne sit et excellat ingenio, ei non sine admiratione aliqua invideat, quod idem in causa fuerit, cur medio aevo, quod vocatur, saepe in eos inquisitum sit, qui pro magicis et veneficis sint habiti.[2])

Huc accedere, quod mercede accepta divitiores adolescentes docuerint [3])

Maximam autem culpam sustinere Platonem, qui et illustri suo ingenio et auctoritate per multos annos permanente et infinitis adversus sophistas disputationibus hanc tantam iis contraxerit invidiam.[4]) — Aristotelem magistri exemplum secutum infamiam iis hoc modo adspersam propagasse et sophistarum nomini eam subjecisse notionem, quam apud nostrates habere soleat, quum sophistarum artem nihil aliud esse dicat, quam speciosam quandam sapientiam, re vera autem nullam (Arist. Met. IV. 2. 1004 b. 17).[5]) Praeterea alterum dimidium quinti saeculi Socrateam sophistarumque aetatem nominari et de sophistis disseri quasi de novo aliquo hominum genere a temporis illius ratione remotissimo vel potius secta, quae novam doctrinam profiteatur et tum primum in Graecia exstiterit; carpi sophistas et exagitari ut praestigiatores, qui quaestus et lucri causa divitioribus adolescen-

[1]) l. l. pg. 578.

[2]) l. l. pg. 581.

[3]) ibid.

[4]) l. l. pg. 583.

[5]) ibid.

tibus adulati sint et deceperint et ad impiam ambitionem et libidinem concitaverint. Enim vero contigisse sophistis, ut omnes Atheniensium mores corrumperent, ita ut Athenae extremis annis belli Peloponnesiaci misere deficerent a virtute majorum, qualis fuisset tempore Miltiadis et Aristidis, et ad omnes libidines et vitia praecipites essent. At sua sententia sophistas pestem moribus civium intulisse, immo vero omnino pestem ullam in rebus Atheniensibus infuisse tum, quantum maxime possit, esse negandum.[1])

Attigi summatim ea, quibus historicus magna cum indignatione contendit sophistarum aestimationem imminutam esse et tantam iis invidiam conflatam.

Cave quaeso credas, tanta me esse arrogantia, ut historicum nobilissimum maxima doctrina ornatum et exstructum refellere me posse confidam: at tamen movet animum, quod de mea sententia deturbatum me subito video; itaque re iterum pertractata et in consilium vocatis iis potissimum, qui novissime in hac re elaboraverunt, liceat mihi paucula expromere, quae viro doctissimo respondenda esse videantur. Quum autem admodum verear, ne haud male in me convenire videatur Aristophaneum illud:

Εἰπεῖν τι τῶν εἰωθότων
ἐφ᾽ οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι

faveas his initiis, enixe rogo te, lector benevolentissime!

Ac primum quidem ille in eo errare videtur, quod ita rem transacturum esse se facillime putat, ut eam sententiam impugnet, qua sophistae pro loquacibus tantum hominibus et verborum quasi gladiatoribus et fallacibus adolescentium corruptoribus habentur, quasi omnes etiam recentiores cum hac communi sane et trita sententia consentirent et non ea etiam laudarentur, quae laudanda sunt. Omnes enim recentiores, qui in hoc genere versati sunt, Hegel, C. Fr. Hermann, Braniss, Zeller, Hildenbrand, Wecklein, Schanz in eo congruunt, permultum sophistas ad eruditionem et doctrinam attulisse.

Maxima sunt eorum in linguam merita. Principes sunt grammaticae et rhetoricae artis ducesque rhetorum multitudinis, quantam haud scio an

---

[1]) l. l. pg. 598 und 600.

nullus alius populus unquam habuerit. Antiphon et Isocrates, qui florentissimam rhetorum scholam condidit, a sophistis profecti sunt. Prosam orationem maxime Protagoras, Prodicus, Thrasymachus finxisse putandi sunt. Subtilius de numero, de recte cogitandi legibus, inquirere coeperunt. Prodicus verba acute distinguere docuit[1]); laudatur Siculorum *εὐέπεια*, unde Gorgias profectus est, laudatur Graecorum *ὀρθοέπεια;* Hippias multiplici naturae, historiae, artium cognitione excellebat. Protagoras rei publicae bene administrandae praecepta via ac ratione persequebatur; historiae tractandae haud spernendam habebant indolem, ita ut ipse Prodicus sophistas inter philosophum et reipublicae administratorem quasi in medio constitutos esse diceret (Plat, Euth. 305 C.) Omnes, quos novimus sophistas, operam suam ad rempublicam conferebant.

Jam quod vir doctissimus sophistas hanc ob causam invidiam subiisse dicit, quod ingenio insignes fuerint et doctrina praeter caeteros excellentes, hoc naturam ita ferre sane negari nequit. Sed non verisimile est, nomen sophistarum, quo initio omnes sapientiores et doctiores, poetae, musici, oratores, philosophi, alii nominati sunt, quodque honorem habebat, cum significatione quadam invidiae conjungi potuisse, nisi aliae causae accessissent. Fugit illum, jam superiore tempore in hoc nomine significationem aliquam astutiae latere, quod in verbo *σοφίζειν* et in substantivo *σοφίσματα* clarius etiam apparet. Jam Herodotus (III. 85. 152) callida inventa *σοφίσματα* nominat. Etiam Aristophanes *σοφίσματα* dicit modo verborum certamina, (ranae 871. 1102) modo artem (nub. 206) eam, cui inest malum aliquod artificium (plut 160) (Sophocl. Phil. 14. 77). In astutiis et in perjuriis verbo *σοφίζειν* utitur Aristophanes (equit. 718. 299).[2]) Maxime eristica arte, qua superbiebant sophistae, in hanc invidiam incurrebant. Afferendus est hic locus Platonis ad rem, quae agitur, memorabilis. In Platonis Protagora

---

[1]) Spengel praeclare monuit, Prodici morem Thucydidem maxime adamasse, ut ipsum Platonis Prodicum interdum verba facientem audire censeas. Exstat scholion vetusta manu scriptum apud Dukerum in adnott. pg. 648 b: *ἰστέον ὅτι εἰς τό γόνιμον τῶν ἐνθυμημάτων Ἀντιφῶντα τὸν ἑαυτοῦ διδάσκαλον, εἰς δὲ τὴν λέξιν Πρόδικον ἐμιμήσατο κ. τ. α.* cf. *συναγωγὴ τῶν τεχνῶν* pg. 53.

[2]) cf. Roscher, de historicae doctrinae apud sophistas majores vestigiis pg. 1.

(316 D) ait Protagoras, se artem sophisticam antiquam esse putare: priscos autem viros ejus peritos invidiam hanc offensionemque veritos aliarum artium specie dissimulasse: poematis specie Homerum et Hesiodum, sacrorum oraculorumque appellatione Orpheum et Musaeum eorumque sectatores, musicae artis velamine alios nonnullos eam artem nominasse gymnasticam: se autem ab his omnibus hac in re dissentire neque conducere versutias istas neque voti compotes eos fieri. — Subterfugiendi vero studium istud, cum non assequatur, quod moliatur, inertiam indicare fugientis et stultitiam hominem reddere infensiorem; existimari enim praeter caeteros esse versutum. At se contrariam quandam viam ingressum esse. Confiteri se esse sophistam aliosque docere et hac ingenua confessione tutius quam dissimulatione illa vitari censere se invidiam. Aliis praeterea rationibus sibi se prospexisse, ita ut nihil mali adjuvante deo ob sophisticae artis professionem passurus sit, licet multos annos hanc artem exercuerit. Hoc loco subnixus Grote ea, quae ad opinionem suam quadrant, inde recipit; quae ab ea aliena sunt, rejicit. Gaudio perfundi videtur, quod rectissime Protagoras dicat antiquam esse artem sophisticam. Quis autem est, qui credat, Homerum et Hesiodum velamine poematis hanc invidiosam artem dissimulasse? Invidiam quidem hanc artem habuisse et offensionem non negat, sed addit, invidiam nominis raro aliquem sibimet ipsum contrahere, sed contrahi ei ab aliis, infestis plerumque censoribus; immiti potissimum Platonis animo his sapientiae professoribus factam esse potius hanc invidiam, quam sua ipsorum ambitione et arrogantia.[1]) Longe aliter res se habet: Quam artis suae jactat antiquitatem, nulla est: prudentiam vitae eximiam confundens cum sophistarum professione callide antiquitatis speciem affingere conatur et lenocinari hoc modo rei nuper ortae: habes praeterea exemplum ejus artis, quam sanctam quodam modo et candidam esse vult vir doctissimus

Multo autem etiam majore, quam in ipso nomine infuerit, invidiae onere premi sophistas, pergit ille,[2]) quod doctrinae mercedem exegerint. Subiisse autem hoc invidiae onus et livore eorum, qui sapientiae professori-

[1]) l. l. pg. 579 Anm.
[2]) l. l. pg. 581.

bus lucrosa sua doctrina magnas sibi divitias comparantibus ingenio inferiores fuerint, et Socratis et Platonis, qui qua fuerint summa religione, omnem doctrinae mercedam respuerint.

Hac invidia liberasse sophistas videtur, si quidem Zeller, vir nobilissimus, Groteo assentitur.[1]) Laudat rerum scriptorem, quod ei iniquum visum sit, sophistas propterea, quod doctrinae mercedem acceperint, pro avaris et illiberabilibus et sui studiosis hominibus esse habitos. Nostra aetate, ait, qua omnes magistri pro doctrina pecunia remunerentur, qui in Graecia ob hanc ipsam causam in numero sophistarum referendi essent, talia judicia non jam audiri debeant. Socratem, summae continentiae et frugalitatis hominem et paucis rebus contentum, et Platonem et Aristotelem fortuna fautrice opibus affluentes mercedem doctrinae repudiasse, non esse, quod miremur; non autem vitio sophistis vertendum, quod in alienis urbibus deversantes itineris et victus sumtum tolerare noluerint, sed mercedem exegerint. Non contemtum redundare ad magistrum neque dignitatem ejus imminui et levari mercede doctrinae accepta, non magis, quam amorem uxoris victu a marito ei parato aut aegroti restituta valetudine medicum praemio remunerantis. Sit ita sane: tamen in errorem delabi mihi videntur viri doctissimi.

Non enim ex nostro more et consuetudine hac de re judicium faciendum est, sed ex ipsa illius temporis indole et ratione nostrae dissimillima petendum. Liceat igitur mihi paucis exponere,[2]) quid mihi hac de re statuendum esse videatur.

Ut apud veteres Germanos, ita apud Graecos antiquissimis temporibus pigrum, quin etiam iners videbatur, sudore acquirere, quod sanguine poterat parari. Bella orta sunt et captivitates secutae et servitutes. Victor victum cogebat, ea opera facere, quae ad victum opus erant, et suis artibus vitam hero instruere. Simul cum servitute nimia liberalium artium orta est

[1]) Zeller, Philosophie der Griechen, 3. Aufl. I. Bd. pg. 889.
[2]) Hac in expositione subsequor potissimum H. Göllum, Culturbilder aus Hellas und Rom et B. Meyeri commentationem: Geld und Geist.

aestimatio et opificii tanquam sordidae operae contemtio. Itaque Cleomenes Homerum Spartanorum nominat poetam, Hesiodum helotarum.

Non autem ipsum opus facere turpe erat, sed ex opere factitando victum sibi quaerere. Antiqui reges enim ipsi sibi arma fabricabantur, Penelope cum ancillis filum trahebat. Demetrius Poliorcetes rex in machinis et navalibus exstruendis ipse opificis munia exsequebatur et securim et amussim tractabat. Quicunque autem ex opere factitando victum sibi parabat, is operarius putabatur esse et unus ex multitudine populi sive Graeco vocabulo *βάναυσος*. *Ἀργία* autem *τῆς ἐλευθερίας ἀδελφή* nominabatur. (a Socrate apud Aelian. var. hist. X. 14.) Nulla Graecarum civitatium ad eam opinionem escendit, ut servitutem ab humana dignitate abhorrere concedat. Inter centum homines in Attica plus quam septuaginta ab omni paene spe liberae conditionis aberant. Indi et Persae fortissimi existimabantur et liberrimi, *πρὸς χρηματισμόν* autem *ἀργότατοι*, Phryges contra et Lydii *ἐργαστικώτεροι, δουλεύειν δέ*. Spartani opus factitare et artes et mercaturam agere legibus vetabantur. At Corinthii ex opificio et mercatura divitias illas comparaverant, quae in proverbium abierunt, et omnium Graecorum minime opificum erant contemtores

En, quam dissimilis illius et nostri temporis ratio et conditio! Satis habeo monuisse de loco ex Schilleri nostri carmine de campana luculentissimo:

Tausend fleiss'ge Hände regen,
Helfen sich in munterm Bund,
Und in feurigem Bewegen
Werden alle Kräfte kund.
Meister rührt sich und Geselle
In der Freiheit heil'gem Schutz.
Jeder freut sich seiner Stelle,
Bietet dem Verächter Trutz.
Arbeit ist des Bürgers Zierde,
Segen ist der Mühe Preis;
Ehrt den König seine Würde,
Ehret uns der Hände Fleiss.

Non autem apud Graecos, etiam apud Romanos turpe putabatur, quod ipse Grote[1]) affert, quodque eum in rectam sententiam adducere poterat, ex arte aliqua pecuniam quaerere. Turpe erat reos emta miseros defendere lingua. (Ovid. am. I. 10, 38.) Lege Cincia cautum erat, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet. (Tac. ann. XI. 5.)

Veteres oratores famam et posteros eloquentiae praemia putabant pulcherrima. Fidem non integram manere putatum est, ubi magnitudo quaestuum spectaretur. (ibid.)

Civium erat publicam virtutem exercere. Pingui otio quum frui viderentur cives, tamen, si recte animi corporisque virtuti studebant, aliis rebus non vacabant. Communem civitatis ornatum procurare, res est, ait Plato, non levis operae, sed praecipui studii. Populus Atheniensis eos, qui singulari ingenio praediti erant, deorum quasi aliquo dono sibi commendatos putabat et honorare eos honori sibi duxit. Non deerat iis principum et urbium et civium divitum favor. Pindaro pro laudatione Atheniensium, cujus poenas ab eo Thebani exigebant, ab Atheniensibus decem millia drachmarum soluta sunt. Sed haec principum et urbium et civium munificentia et liberalitas vitam vatum, poetarum, sapientium non ab omni inopia vindicare et tutam praestare potuit. Paulatim iis, qui eas artes et literas tractabant, quae certi quibusdam ministeriis et officiis continebantur quaeque ad opificium propius accedebant, operae praemia non sane spernenda solvi coepta sunt, architectis, medicis, musicis, gymnasiarchis, pictoribus, puerorum magistris, aliis. Democedes, nobilissimus medicus Crotoniates, duorum talentorum pollicitatione a Polycrate Samum arcessitus est. Sed ne hi quidem erant in magna civium aestimatione, nisi omni avaritia remota.

Novissime sapientiae professoribus nummorum praemia data sunt. Sapientia autem sanctum quasi quid videbatur et divinum et supra pecuniae sordem alte elatum. Quid mirum, quod sophistae mercenaria arte utentes in contemtum et ludibrium philosophorum, qui non videbantur esse, sed erant, et qui, si sapientia ad vitam et usum revocaretur, Musam ipsam violari putabant, incidebant. Quo autem magis ad multitudinis intelligentiam

---

[1]) l. l. pg. 582.

et voluntatem artes et literae accommodabantur, eo magis sordere videbantur. Itaque sapientiam aliis venumdare aeque turpe visum est Socrati, ac formam (Memorab. I. 6. 13). Ut paucis absolvam: talis mercedis ratio tempore fortasse necessaria erat, sed genere putabatur turpis.

Non recte autem Groteum negare[1]) ullam omnino tum rerum mutationem intercessisse et per sophistas mores mutatos esse, haec ipsa mercedis ratio documento esse potest.

Rectius Zeller,[2]) qui concedit, non sine magno periculo doctrinam, qua adolescentes ad respublicas imbuerentur, iis tantum magistris commissam esse, qui victum ex discipulorum mercede quaererent. Verendum enim fuisse, ne et docentes ad discentium voluntatem doctrinam referrent et a discentibus ea potissimum magni fierent et expeterentur, quae adjumenta afferre viderentur ad rempublicam quacunque ratione capessandum.[3])

Et profecto, quo minus verae sapientiae in sophistis ipsis inerat, eo magis doctrina eorum mox tota ad quaestum faciendum descendebat et animi adolescentium, quibus doctrina illorum, quae in oratorio quodam artificio versabatur, maximopere probabatur, quod per eam ad magna in republica surgere cupiebant, veluti pestilenti quodam sidere sunt afflati.[4])

Vehementissime autem vituperat Grote Platonem, quod perpetuum et quasi internecinum bellum adversus sophistas gessisset, quod nomen sophistarum ex communi sermonis commercio sumtum miseris illis affixisset et data opera alia insuper convicia multa in eos collegisset, quae magna turpitudine dicerentur et plenissima essent ignominiae, quibus contemtui eos exposuisset et derisui objecisset.[5])

---

[1]) Grote l. l. pg. 584.

[2]) Zeller l. l. pg. 892 sqq.

[3]) 7. Xenoph. anab. II. 6. 16. *Πρόξενος δὲ ὁ Βοιώτιος εὐθὺς μὲν μειράκιον ὢν ἐπεθύμει γενέσθαι ἀνὴρ τὰ μεγάλα πράττειν ἱκανός· καὶ δια ταύτην τὴν ἐπιθυμίαν ἔδωκε Γοργίᾳ ἀργύριον τῷ Λεοντίνῳ. Ἐπεὶ δε συνέγενετο ἐκείνῳ, ἱκανὸς ἤδη νομίσας εἶναι καὶ ἄρχειν καὶ φίλος ὢν τοῖς πρώτοις μὴ ἡττᾶσθαι εὐεργετῶν, ἦλθεν εἰς ταύτας γὰρ σὺν Κύρῳ πράξεις.* — Hippocrates in Platonis Protagora 316. B. *ἐπιθυμεῖ ἐλλόγιμος γενέσθαι ἐν πόλει.*

[4]) Zeller l. l. pg. 894.

[5]) Grote l. l. 582 sqq.

Quis negaverit, Platonis dialogus refertos legi contumeliis sophistarum? Quis nesciat, eos genus quaestuosum nominari, adolescentium divitumque captandae mercedis causa venatores, eruditionis ostentatores, earum, quae ad animum spectant, doctrinarum mercatores et caupones, suorum inventorum venditores, in sermonibus et ratiociniis certatores et artificiosos litigatores, morum corruptores, animal non altera duntaxat manu apprehendendum, totam artem imaginariam et speciosam et simulacrorum effectricem?

Grote aliquo loco ipse Platonem religiosum hominem fuisse affirmat.[1]) Platonemne ea omnia finxisse censemus? Platonis dialogi ita compositi sunt, ut viventium mores in personis, quae in scenam prodeunt et disputantes inducuntur, ad veritatem effecti ipsius vitae expressam imaginem exhibeant.

Diligenter attendentibus sponte patet, suum cuique in dialogis dicendi genus tribui: in dialogo Protagora neminem latet, quam diversa sit in ea oratio Socratis, Protagorae, Prodici, Hippiae, quam diversi in eo pingantur mores Protagorae, Hippiae, Prodici. In primis hoc elucet in symposio, ubi Phaedro Pausaniae, Aristophani, Agathoni, Socrati, singulis suae dicendi partes tribuuntur. Si porro perpendimus, quam singulae personae in diversis dialogis eadem semper ratione agentes dicentesque recurrant, Socrates in plurimis dialogis, Phaedrus in symposio et in eo dialogo, qui ab illo nomen duxit, Theaetetus in sophista et Theaeteto dialogo, Hippias in Protagora et Hippia dialogo, alii multi, vix consentaneum est existimare, ita Platonem ingenio indulgere potuisse, ut tot *χαρακτῆρας* pro libitu fingeret, sed revera nobis facile persuademus, *πρόςωπα* illa esse *τύπους* eosque accuratissimo ad vitae veritatem expressos hominum, senum, virorum, juvenum.[2]) Cur autem non solum Plato, sed etiam Socrates tanto ardore sophistas exagitaverint, non difficile est ad intelligendum, quod ipsum ne Groteum quidem fugit[3]): Non enim ferebat generosissimus Socratis animus ad emendationem morum civium Atheniensium omnia referens, loquacitate

---

[1]) l. l. pg. 582.

[2]) Ita optime mihi rem transigere videtur Vitringa in disquisitione de Protagorae vita et philosophia pg. 58.

[3]) l. l. 585.

magis quam sapientia imbui adolescentes, tumore magis et fastu, quam scientia et doctrina impleri moribus nihil correctis et Platonis mens ad divina esurgens ita ut non hominis ingenio, sed quodam Delphico videretur oraculo instinctus (Quintil. X. 1. 81) aegre ferebat, cives cogitationes abjicere ad communis vitae utilitatem.

Caeterum Plato ipse aetate longius provectus de sophistis humanius videtur judicium tulisse.[1] Tim. 19. E. *τὸ δὲ τῶν σοφιστῶν γένος αὖ πολλῶν μὲν λόγων καὶ καλῶν μάλα ἔμπειρον ἥγημαι· φοβοῦμαι δὲ μή πως, ἅτε πλανητὸν ὂν κατὰ πόλεις οἰκήσεις τε ἰδίας οὐδαμῇ διῳκηκὸς ἄστοχον ἅμα καὶ φιλοσόφων ἀνδρῶν ᾖ καὶ πολιτικῶν, ὅσα ἂν οἷά τε ἐν πολέμῳ καὶ μάχαις πράττοντες ἔργῳ καὶ λόγῳ προσομιλοῦντες ἑκάστοις πράττοιεν καὶ λέγοιεν.* Adde locum memorabilem Respubl. VI. 492. A. B. quem adolescentium, qui fortasse hoc legent, in usum, exscribere placet: *Ἦ καὶ σὺ ἡγῇ, ὥσπερ οἱ πολλοί, διαφθειρομένους τινὰς εἶναι ὑπὸ σοφιστῶν νέους· διαφθείροντας δέ τινας σοφιστὰς ἰδιωτικούς, ὅ, τι καὶ ἄξιον λόγου· ἀλλ'οὐκ αὐτοὺς τοὺς ταῦτα λέγοντας, μεγίστους μὲν εἶναι σοφιστάς, παιδεύειν δὲ τελεώτατα καὶ ἀπεργάζεσθαι οἵους βούλονται εἶναι ... Ὅταν ξυγκαθεζόμενοι ἀθρόοι πολλοὶ εἰς ἐκκλησίας ἢ εἰς δικαστήρια ἢ θέατρα ἢ στρατόπεδα ἤ τινα ἄλλον κοινὸν πλήθους ξύλλογον ξὺν πολλῷ θορύβῳ τὰ μὲν ψέγωσι τῶν λεγομένων ἢ πραττομένων, τὰ δὲ ἐπαινῶσιν ὑπερβαλλόντως ἑκάτερα καὶ ἐκβοῶντες καὶ κροτοῦντες· πρὸς δ'αὐτοῖς αἵ τε πέτραι καὶ ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἂν ὦσιν ἐπηχοῦντες διπλάσιον θόρυβον παρέχωσι τοῦ ψόγου τε καὶ ἐπαίνου· ἐν δὴ τῷ τοιούτῳ τὸν νέον τίνα οἴει καρδίαν ἴσχειν; ἢ ποίαν ἂν αὐτῷ παιδείαν ἰδιωτικὴν ἀνθέξειν, ἣν οὐ κατακλυσθεῖσαν ὑπὸ τοῦ τοιούτου ψόγου ἢ ἐπαίνου, οἰχήσεσθαι φερομένην κατὰ ῥοῦν ᾗ ἂν οὗτος φέρῃ; καὶ φήσειν τε τὰ αὐτὰ τούτοις καλὰ καὶ αἰσχρὰ εἶναι καὶ ἐπιτηδεύσειν ἅπερ ἂν οὗτοι καὶ ἔσεσθαι τοιοῦτον;*

Jam vellem, virum doctissimum copiosius de ipsa sophistarum doctrina disseruisse, ut eo facilius verum de iis judicium fieri posset: at maluit Platonem vituperare, quod illud Protagoreum, hominem mensuram esse omnium rerum ita interpretatus esset, quasi Protagoras dixisset, cognitionem percipi sensuum affectibus et suos cuique sensuum affectus esse

[1]) cf. Roscher l. l. pg. 2.

veritatis judicium[1]); maluit deinde vituperare recentiores, quod illud Gorgianum, *περὶ φύσεως ἢ περὶ τοῦ μὴ ὄντος* ad res naturales retulissent, quae sub sensum caderent, non ad ea, quae semota his et sejuncta oculis mentis essent intuenda.[1]) Sed ne longus sim, subsistam his duobus sophistarum principibus et inter hos fines commentationem contineo. Ut autem demonstrem, ne hac quidem in re virum doctissimum recte judicare et rem absolvam, necesse est, ut paucis adumbrem et extremis quasi lineis designem, quae inter sophistarum doctrinam et antiquiorem philosophiam intercedat connexio et quasi cognatio.

Primum (ut ait Lucretius de natur. rerum I. 66) Grajus homo mortalis tendere contra oculos ausus est et effringere naturae arta portarum claustra cupivit. Omnis autem usque ad sophistas et Socratem philosophia in rerum naturae pervestigatione versabatur. Alii veterum illorum sapientium causas rerum et principia indagabant, sciscitantes, unde omnia orerentur quove eadem rursus reciderent, quibus modis congressus et nexus materiae terram fundaverit et coelum, mare, sidera, solis lunaeque globos, alii ipsam rerum universitatem considerantes, qualis esset, essetne unum, ita ut caetera esse viderentur, non essent, an plura et infinita rerum multitudo, moverenturne res an moveri viderentur.

Thales Milesius aquam putabat rerum principium esse. Milesius alter Anaximander *τὸ ἄπειρον*, immutabile illud in omnibus rerum mutationibus et hanc ob causam immortale, unde omnia gignerentur et quo resolverentur p o e n a s l u e n t e s o r d i n e t e m p o r i s. Milesius tertius Anaximenes aerem. Moveri autem res et agitari suapte natura et interiore quodam motu opinabantur.

Jam non ex humidis et aridis, tenuibus et densis, sed ex simplicibus et multiplicatis, ex pluribus et minoribus, i. e. ex numeris omnia gigni voluit Pythagoras. Est autem in Pythagoreorum de numerorum ratione nescio quid arcani, quod a communi judicio popularique intelligentia recedit.

[1]) l. l. pg. 595.
[2]) l. l 597.

Nam quamquam numeri quasi inter materiem et mentem intercedunt, tamen et materiem et principium esse numeros putatos a Pythagoreis testatur. Aristoteles.[1]) Dicitur etiam primus tentasse de virtute disserere; non recte: nam virtutem ad numeros revocans nullam virtuti propriam rationem init.[2]) Socratem demum constat philosophiam e coelo devocasse et in urbibus collocasse et in domos etiam introduxisse et coegisse de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Tamen non praetermittendum est, jam a Pythagora certe igniculos quosdam jactos esse moralis doctrinae et locos aliquos tractatos.

Quum enim Samius ille opulentam in urbem Crotoniatarum venisset, in omnibus fere urbibus Italiae inferioris, inprimis Crotone, magnae dissensionis inter nobiles et plebem exortae erant et mores etiam, ut fieri solet, depravati erant vehementissime et magna clade accepta animi civium fracti. In hoc rerum discrimine Pythagoras societatem constituit juvenum nobilium eo consilio, ut severa disciplina conjuncti lapsam optimatium civitatem non modo in pristinum restituerent, sed firmarent etiam et amplificarent; discipulos suos bonos probosque reddere voluit et ut civitatem moderantes potestate sua non abuterentur ad plebem opprimendam et ut plebs suis commodis consuli intelligens conditione sua contenta esset.[3]) Doctrina Pythagorae autem omnis in eo versabatur, ut demonstraret, coelum et terram deosque et homines societate quadam et amicitia modestoque ornatu et temperantia et justitia contineri atque hanc rerum universitatem hac de causa *κόσμον* appellari. Harmonia ei sanitas et virtus videbatur esse, perturbatio rerum morbus et vitium. Omnem moralem et civilem doctrinam ita ad ordinem et modum et ad numeros revocavit.

Sophistarum tempore nihil majore studio animique ardore quaerebatur, quam quid esset *τὸ δίκαιον* et unde proficisceretur, utrum *φύσει* an *νόμῳ*.

---

[1]) Metaph. I. S. 989. a. 15. *φαίνονται δὴ καὶ ουτοι τὸν αριθμὸν νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι καὶ ὡς ὕλην τοῖς οὖσι καὶ ὡς πάθη τε καὶ ἕξεις.*

[2]) Aristot. Eth. Magn. I. 6. *οὐδ' οἰκείαν τῶν ἀρετῶν τὴν θεωρίαν ἐποιεῖτο.*

[3]) cf. Krische de societatis a Pythagora in urbe Crotoniatarum conditae scopo politico.

Notum est, Calliclem in Platonis Gorgia[1]) plerumque sibi contraria esse naturae jus et leges docere et non *φύσει*, sed *νόμῳ* justum esse pronuntiare: multitudinem enim, quum videat debiliorem esse se adversus opes validiorum, leges ferre, quibus injuriam a se arceant, naturam autem fortioribus omnia indulgere et ubique validioribus jus et imperium in imbecilliores dedisse, ut in gentibus appareat, quarum quae sint opulentissimae, eas reliquis imperare. Thrasymachus nihil justum esse vult, nisi quod prosit validiori.[2]) Pythagoras autem, ut omnem civilem doctrinam, ut supra diximus, ad numeros revocat, ita justitiam eodem. Justitiam enim denotat *ἀριθμῷ ἰσάκις ἴσῳ* = 8. Hunc numerum autem justitiam vocavere Pythagorei, quod primus omnium ita solvitur in numeros pariter pares, hoc est, in bis quaterna, ut nihilo minus in numeros aeque pariter pares divisio quoque ipsa solvatur i. e. in bis bina.[3]) Eadem quoque ratione contexitur i. e bis bina bis. Quum ergo et contextio ejus pari aequalitate procedat et resolutio aequaliter redeat usque ad monadem, quae divisionem arithmetica ratione non recipit, merito propter aequalem divisionem justitiae nomen accepit.[4]) Quum Pythagoras justitiam ad numeros revocet, numeri autem principia rerum sint, ad ipsam n a t u r a m revocat.

Montaigne jus non natura esse credebat, sed educatione tantum et consuetudine natum. Hobbesii fortioris defensio nota est, itemque Spinozae de hac re disputatio. Grotei hac de re sententia haec est: verum esse et verisimile, validiorem jus et imperium in debiliores exercere, at turpe, tale jus sibi vindicare.[5]) Et hercle, Quis non videt, eum, qui viribus et opibus et potentia et ingenio superior et validior privata sectatur, quam publica, propria quam communia, ab humanitate ad ferarum immanitatem descendere. Redeamus eo, unde digressi sumus.

Jam omni multitudine et numero sublato Xenophanes patria Jonia relicta Eleae consedit: ut rhapsodus quidam promebat ea, quae mente agita-

---

[1]) Plat. Gorg. 482 E. Protag. 337. D.

[2]) Plat. respubl. II. 358 E. Cf. Thuc. V. 84—114.

[3]) Macrob. in Somn. Scip. I. 5. fin.

[4]) Voigt, jus naturale, I. pg. 87. 399.

[5]) l. l, 609.

verat et secum reputaverat viris et equis, robore et victoria melius esse profitens cognitionem.

Totum coelum mente et oculis complexus unum esse omnia docuit neque id mutabile et id esse deum neque natum unquam et sempiternum, nulli quod rerum finitimarum comparari possit. Sed erraremus vehementissime, si quem deum vocat Xenophanes, eum cogitatione a natura rerum detraheremus. Nam Aristotele auctore[1]) Xenophanes universitatem rerum intuens *τό ἕν* deum nominavit: *πᾶν* videt deus et *πᾶν* audit (ganz sieht die Gottheit und ganz hört sie.) Errare mihi videtur Grote, quod ut supra significavimus, opinatur, Gorgiam illud *περὶ φύσεως ἢ περὶ τοῦ μὴ ὄντος* Eleaticorum vestigia prementem ad *νοούμενον*, quod vocat vir doctissimus, referre, non ad universum, quod *ἕν* vocaverunt Eleatici.[2])

Zeno ab Aristotele inventor dialecticae artis nominatus est et Plato dicit eum artificio suo efficere solitum, ut eadem audientibus similia et dissimilia, unum et multa, manentia et fluentia viderentur.[3]) Haec facultas contradictoria, qua quis omnia omnibus similia fingere et altero similia ista dissimulante in lucem educere potest, quum non in judiciis solum et concionibus, verum etiam in omnibus, quae oratione peraguntur, versatur, insequenti tempore arti sophistarum arma suppeditavit: Gorgias Empedoclis discipulus fuisse traditur.[4]) Ultimi philosophi Eleaticae doctrinae erant Zeno et Melissus, qui sophisticae arti maxime viam muniverunt. Hoc Plato indicat initio sophistae dialogi. Nam postquam hic hospes Eleates *ἑταῖρος τῶν ἀμφὶ Παρμενίδην καὶ Ζήνωνα* nominatus est, Socrates ironice interrogat, num forte sit *θεὸς ἐλεγκτικός*, qui pro hospite veniat, Theodorus respondet, modestiorem eum esse, quam eos, qui contentionibus studeant.

Pergamus ab iis, qui universum stabile ponunt ad eos, qui etiam immobilia movent.

Heraclitus, cui cognomen *τοῦ Σκοτεινοῦ* fecit orationis obscnritas quod ut natura ipsa et multo magis etiam rerum naturhe rffector amat ob-

1) Zeller l. l. pg. 455.
2) l. l. pg. 597.
3) Plat. Phaedr. 261 D.
4) Quint. III. 1. 8.

ducere se atque abscondere et ut deus Delphicus *οὔτε λέγει οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει.* Variarum enim rerum tegmine, quae sentit, significat potius, quam declarat.

Philosophiam in altiorem extulit gradum, quod ea, quae esse dicuntur, non immota et certo quodam statu permanere vult, sed fluere omnia semper et ex fluxu motuque alternaque rerum commixtione gigni omnia et fieri; nihil esse unquam, semper autem fieri. Ratio autem, qua fluere omnia et fieri semper animo sibi finxit, haud scio an dilucidius explanari possit, quam a Maimonide explanatum est loco quodam, qui sine dubio ex ipso Heracliti fonte petendus est[1]): Quatuor ista elementa perpetuo invicem permutantur, quolibet die atque hora, secundum partes suas, non juxta totum corpus. Quo modo? Pars terrae proxima aquae mutatur, liquefit atque efficitur aqua: sic quoque particula aquae conjuncta aëri alteratur, rarefit atque fit aër; ita quoque portio aëris vicina igni mutatur, formatur atque fit ignis; sic etiam pars ignis propinqua aëri alteratur, disponitur, congregat se et efficitur aër; similiter quoque aëris pars conjunctissima aquae alteratur condensatur et fit aqua; ita etiam aqua parte sua, qua cingit terram, transmutatur, condensatur atque efformatur terra. Haec autem transmutatio perficitur paulatim atque longo temporis spatio.

Hanc mutuam autem transmutationem ac semper in circulum redeuntem Heraclitus sub variis rerum tegmine, ut supra diximus, significat modo ignis, modo aëris, modo belli, modo viae sursum deorsum, atque etiam justitiae, necessitatis aliorumque similitudine usus; omnibus enim his rebus inest significatio quaedam rerum invicem inter se pugnantium et in unum rursus congredientium. Dies motu agitatur, ut fiat nox, nox rursus ut dies; solis ortus perpetuus occasus est; *εἶμεν καὶ οὐκ εἶμεν.* Pugnantia inter se in unum conciliata matrimonium quasi quoddam conjungunt pariuntque et progenitis porrigunt alimenta. Haec est lex divina, *γνώμη* dei per omnia manans, sed iis involuta: *ἁρμονία ἀφανὴς φανερῆς κρείττων καθ' Ἡράκλειτον,*

1) Lassalle, die Philosophie Herakleitos des Dunklen von Ephesus. II. Bd. pg. 140.

ἐν ᾗ τὰς διαφορὰς καὶ ἑτερότητας ὁμιγνύων θεὸς ἔκρυψε καὶ κατέδυσε. (Plut. de anim. procreat. pg. 1026, pg. 177. Wytt.)[1])

Animadvertendum hoc loco, quem locum hominem Heraclitus in hoc rerum flumine obtinere velit. Hoc intelligitur ex loco Sexti adv. Math. VIII. 286. καὶ μὲν ὁ Ἡράκλειτός φησι, τὸ μὴ εἶναι λογικὸν τὸν ἄνθρωπον, μόνον δ'ὑπάρχειν φρενῆρες τὸ περιέχον. (Der Mensch sei unvernünftig, vernünftig sei allein das Allgemeine).[2]) Hoc sensu dici poterat, rationem extra corpus esse.[3])

Inde quum transitus fieri videatur ad sophistarum doctrinam, liceat paulum subsistere et pauca ad illustrandam hanc Heracliti opinionem addere.

Heraclitus mentem humanam non sui juris facit. Quum enim omnia perpetuo flumine agitari opinetur, ita ut res in se deficiant semper et regignantur, ei non solum corporis, sed etiam animi partes in unione disjunctae et in divisione unitae videntur. Interruptio quasi media partium non fit. Heraclitus connectit igitur rationem humanam cum divina et cum hac connexa cognoscit res et λογικός est, ab ea sejuncta non cognoscit et ἀλογικός est. Declarat hoc luculento exemplo e rerum natura petito: Ut enim carbones igni admoti ignei fiunt, ab igne autem remoti exstinguuntur, ita mens nostra admota κοινῷ λόγῳ λογικὸς fit, semota ἀλογικός.[4]) Et alio exemplo: Per somnum θείου λόγου immemores expergefacti ejus iterum participes sumus. Nam quum per somnum sensus, rerum interpretes et nuntii, intermittant, mens in nobis secernitur τῆς πρὸς τὸ περιέχον συμφυΐας. Vigilantibus autem nobis per sensus ut foribus reclusis prospectantibus et τῷ περιέχοντι conjungentibus nos cogitandi facultas fit[5]) et ὁ κοινὸς καὶ θεῖος λόγος, qua cum con-

---

[1]) Lassalle l. l. I. pg. 25.

[2]) Lassalle l. l. I. pg. 315.

[3]) ἀλλ' οἱ μὲν ἐκτὸς τοῦ σώματος εἶναι τὴν διάνοιαν κατὰ Ἡράκλειτον. (Sext. ibid. VII. 349.)

[4]) Hippocrates de diaeta I. pg. 652 k.: ἄνθρακας κεκαυμένους πρὸς κεκαυμένους προσβάλλων, ἰσχυροὺς πρὸς ἀσθενέας, τροφὴν αὐτοῖσι διδοὺς κ. τ. λ. Lassalle l. l. II. pg. 288.

[5]) Lassalle l. l. II. pg. 298. Hegel, Encycl. III. Th. pg. 108. Es ist natürlich für den Menschen, bei Tage zu wachen und bei Nacht zu schlafen; denn wie der Schlaf der Zustand der Unentschiedenheit der Seele ist, so verdunkelt die Nacht den Unterschied der Dinge und wie das Erwachen das Sich von sich selbst unterscheiden der Seele ist, so lässt das Licht des Tages die Unterschiede der Dinge hervortreten.

juncti λογικοὶ fimus, veritatis judicium est. Qui ab hac κοινῷ λόγῳ mentem suam sejungit, in fraudem inducitur. Multi autem degunt propria et quasi privata ratione utentes: hi ἰδιάζοντες ψεύδονται. Locus memorabilis hac de re afferatur necesse est: Τοῦ λόγου δὲ ἐόντος ξυνοῦ, ζώουσιν οἱ πολλοὶ ὡς ἰδίαν ἔχοντες φρόνησιν — διὸ καθ' ὅ, τι ἂν αὐτοῦ τῆς μνήμης κοινωνήσωμεν, ἀληθεύομεν, ἃ δὲ ἂν ἰδιάσωμεν, ψευδόμεθα. (Sext. adv. Math. VII. 131.)[1])

Hanc autem ἰδίαν φρόνησιν a κοινῷ λόγῳ diremtam summa cum contemtione novo nomine οἴησιν nominat (das subjective Wähnen[2]). Nominat enim τὴν οἴησιν ἱερὰν νόσον.[3]) Quam autem οἴησιν si ad corpus retuleris, morbus nominandus est, si ad animum, superbia,[4]) si ad mentem, mendacium. Hanc οἴησιν, quam Heraclitus contemsit quam maxime, arripuerunt sophistae et quae esse dicebantur perpetuo flumine agitata, ea esse omnino negabant, inprimis Gorgias. Protagoras autem ad οἴησιν omnia referens hominem mensuram rerum esse contendebat. Heraclitea illa ἰδία φρόνησις sive οἴησις in arbitrii libidinem mutata est, quum ab Asia Athenas demigraret.

Usque ad hoc tempus in ipsa literarum sede et totius Graeciae prytaneo, Athenis, quae Hellas in Hellade nominabatur, philosophiae locus non erat. Non vacabant reconditis studiis philosophiae ii, qui totius Graeciae libertatem ab hostium impetu vindicaverant.

Tum Anaxagoras Athenis exstitit et primus omnium rerum naturalium descriptionem mentis infinitae vi confectam esse docuit. Pericles et omnes ii, qui novis rebus studebant, adstipulati sunt.

Anaxagoras parens Atticae philosophiae putandus est.

Veteres illi philosophi nondum mentem a natura rerum cogitatione detraxerant. Μόνοι γὰρ ᾤοντο περὶ τῆς ὅλης φύσεως σκοπεῖν καὶ περὶ τοῦ ὄντος. ἔστι δὲ ἔτι τοῦ φυσικοῦ τι ἀνωτέρω. ἔστι δὲ σοφία τι καὶ ἡ φυσική, ἀλλ' οὐ πρώτη. Arist. metaph. III. 3.

---

[1]) ibid. l. l. pg. 263.

[2]) l. l. I. pg. 59.

[3]) l. l. pg. 300. τὴν δὲ οἴησιν ἱερὰν νόσον ἔλεγε. Veteres epilepsin ἱερὰν νόσον vocabant et hunc morbum in cerebro sedem habere putabant.

[4]) ὕβριν χρὴ σβεννύειν μᾶλλον ἢ πυρκαΐην ib. l. l. II. 445.

Nobis autem, quamquam veteres illi in plerisque rebus a vero aberrasse videntur, tamen indagatio illa non contemnenda videtur, si quidem ipsi illorum errores meliorem investigandi viam sequentibus aperuerunt.

Laetissime Aristoteles Anaxagorae laudem tribuit, eum quasi vigilantem exstitisse inter temere antea disputantes philosophos.[1]) Sed recensentibus nobis Anaxagorae opinionem, idem nobis accidet, quod Socrates accidisse sibi hac in re apud Platonem confitetur[2]): Quum audirem aliquando, ait, quendam e libro Anaxagorae legentem hanc Anaxagorae ipsius sententiam, mentem videlicet omnia describere omniumque causam esse, magnopere sum delectatus, invenisse ratus magistrum, qui me id, quod tantopere cupiebam, causas rerum doceret. Nec spes meas parvi faciebam, sed summo quodam studio acceptos libros, quam velocissime poteram, lectitabam; hac igitur mirabili spe ductus cum legere pergo, video, hominem mente quidem nullo modo utentem nec causam ullam ad ipsam rerum descriptionem referentem aëreas naturas et aethereas aqueasque et talia multa incredibilia pro rerum causis assignare.

Videmus, ne Anaxagoram quidem mentem ab omni rerum natura cogitatione detrahere potuisse et omnia rursus, ne dicam se ipsum evertisse. Jam sophistae hanc semitam ingressi inter eam mentem, quae in descriptione mundi cernitur, et eam, quae in hominum sollertia et calliditate apparet, discernere coeperunt. Mentem ad res humanas revocaverunt et ad communis vitae usum.

Quum autem et Heracliteae et Eleaticae doctrinae, unde Protagoras et Gorgias profecti sunt, indoles ea esset, ut in scepticam disputandi rationem facile abiret, quid mirum, quod sophistae nova quasi menta superbientes et cerebri quadam vertigine abrepti veritate sublata speciem tantam veritatis prae se ferrent, magnae potius, quam bonae famae studiosi. Quum Protagoras statueret, nihil esse sine motu et in homine nihil amplius agnosceret,

---

1) Arist. metaph I. 3. 984. *νοῦν δή τις εἰπὼν ἐνεῖναι καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις καὶ ἐν τῇ φύσει τὸν αἴτιον τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης οἷον νήφων ἐφάνη παρ᾽ εἰκῆ λέγοντας τοὺς πρότερον.*

2) Plat. Phäd. 97 B. sqq.

nisi praesentes sensuum perceptiones, sensibus autem nihil praeponeret, quod de iis judicium ferre posset, Plato de scientiae natura disquirens ita concludere potuit, secundum Protagoram hominem esse omnium rerum mensuram, et scientiam nihil, nisi sensuum perceptiones[1]); Diogenes Laertius[2]) autem, quamquam male Platonis referens verba, animum nihil esse, nisi sensuum affectus. Gorgias autem, quum Eleatici negassent, sensuum esse veritatem, ipse nec esse nec sciri nec doceri posse quidquam demonstravit libello *περὶ τοῦ ὄντος*, adhibitis partim suis, partim Zenonis Melissique placitis.

Talis philosophia, quae nihil certi relinquit, sive omnem perceptionem veram sive omnem falsam putat, a meditatione veritatis abducit. Unde factum est, ut omnino verum esse quidquam negaretur. Pro eis, quae natura erant justa et communi hominum opinione probata et sancta, singulorum libidines dominabantur: ex veritate jam nihil, ex opinione omnia aestimari coepta sunt. Licet emendatius de diis cogitari coeptum sit, tamen divinis rebus damnum allatum et verecundia deorum paulatim ex multitudinis animis exstirpata est. Quum usitatissimum esset, quaerere, quae natura justa essent, quae lege, ita censebant, leges ex hominum arbitrio et libidine esse profectas. In republica talia qui profitebantur, fieri non potuit, quin in dominationem et vecordiam violentiamque procederent. Respublica enim Atheniensium, postquam a Pericle aliquamdiu satis prudenter et callide administrata est, postquam deinde arte Cleontis omnibus virtutibus exuta male mulcata et macerata est, postquam ingeniosa et eleganti nequitia Alcibiadis luxuriae et libidinum vitiis fastidiose versati omnibus periculis exposita et projecta est, infirmioribus ingeniis praeda quasi fuit. Eo tempore sophistae, summo ingenio praediti, regnare quasi videbantur. Non diu. Adest Socrates, adest Plato: devictis et profligatis sophistis his laus debetur restitutae in pristinum splendorem verae philosophiae.

---

1) Plato Theact. 160 E.

2) Diog. Laert. vita Protag. 1. x. 8. *ἤρξατο πoῦ τοῦτον τὸν τρόπον, Πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δ᾽οὐκ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν. ἔλεγε δὲ μηδὲν εἶναι ψυχὴν παρὰ τὰς αἰσθήσεις.* Vitringa l. l. pg. 104.

Socrates enim statuit omnem rerum scientiam non a sensibus et opinionibus proficisci, sed a mente et cogitatione et verum unum esse idemque. Plato autem negans hominem esse mensuram omnium rerum ad eum omnia refert, a quo omnia profecta sunt: *ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἢ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος.* (De legg. IV. 716, C).